



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An catholicus concionator metitò arguat obstinatos schismaticos. tit. 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS VI. H

eat, quòd istis temporibus Martyres non sint. Quicunq; pro veritate testimoniũ dederit, quicquid pro veritate & iustitia sustinuerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit. Sic qui ebrietati resistit, sectis contra obedientiam Ecclesiæ catholicæ machinantibus, falso testimonio, & c. si pro hoc aliquis pertulit tribulationes, omnia ei Dominus ad martirij gloriam reputabit, Matt. 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti, & c.

AN CATHOLICVS CONCIONATOR, meritò arguat obstinatos Schismaticos.

TITVLVS VI.



Rimò apud August. Epist. 48. tractatur hæc quæstio, ex quo Apostolus admonet ad Tit. 3. deuitare hæreticum hominem, an Catholicus cõcionator debeat eos derelinquere & non arguere, neq; eorum sacramenta, cæremonias, cultum taxare. Et dicit primò, q̃ sacramenta non faciunt hæreticum vel schismaticum, id est, Baptismus, Eucharistia, opera, cæremoniæ, cultus, & c. sed praua dissensio extra vnitatẽ & concordiam, quæ facit, quòd inutiliter habeant illa quæ sunt sicut medicina sine operatione, 1. Cor 13. Si non habuero charitatẽ, nihil prodest. Habet vsurarius pecuniam, habuit Herodes Herodiadẽ, Mar 7. Habet fur furtum, sed ad pœnam inutiliter.

Secundò inquit August. Epist. 164. Non inculpamus quod nobiscum habent commune, id est, Baptismum, Eucharistiam. In multis enim nobiscũ estis, id est, prædicatione verbi, cæremonijs, ferijs. Et id commendamus ac veneramur. Sic Dauid veneratus fuit vnctionem Saul regis, 1. Reg. 24. Et Paulus Actorum 23. se excusat quod maledixisset summo sacerdoti & cætera, sed dolemus & clamamus, quia hæc inutiliter habetis,

habetis, donec ad vniōnem redieritis. omnia hęc schisma facit inutilia, etiam si martyrium contingeret in fide sectaria, secundum Cyprianum. Quid prodest vita puero, si inter nascēdum abortiatur? Quid Baptismus, si illicō redeunt peccata, propter labem schismatis, quemadmodum Matth. 18. seruo illi contigit qui noluit condonare? S. Hieronymus ad Ruffinum Epistol. 41. In vno hoc tibi consentire non possum, vt parcā hæreticis, vt me catholicum non probem: si ista est causā discordiæ nostræ, mori possum, tacere non possum. Et ad Pammachium & Marcellam in 1. lib. contra Ruffinum, si asperior sum in hæreticos, & illorum in publicum profero strophas, lætare inuestione mea, ne si dolueris, hæreticus quoque esse videaris: quando sine nomine contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est, quōd vel hæreticus est aut fautor eius. Idem Epistol. 41. Canes latrant pro Dominis suis, cur ego non etiam pro Christo & veritate Ecclesiæ gloria?

Tertiō, inquit ad quæstionem August. epistol. 164. Ecclesia perseuerat in diligentia charitatis, siue suscipiant schismatici, siue non suscipiant & contemnant. charitas non excidit, 1. Cor. 13. Si ergo illi non susceperint, alijs tamen est salutaris, qui cauerint à schismate. Phreneticus non vult ligari: attamen ligatur, vt cæteri pacem habeant. Adulteri, vsurarij &c. nolunt audire, si peccata illa exponuntur populo, quatenus graua & damnabilia sunt: attamen Deus iubet per prophetam, Clama, ne cesses, Esa. 58. Epi. 204. Si quis se suspenderet te vidente, aut in puteum mitteret, & tu prohibere posses, nunquid sine peccato præterire posses, & non liberare etiam inuitum? Ideo non debet cessare catholicus concionator clamare contra schismaticos. Alloquitur Christus Paulum Act. 9. qui aduersabatur illi. Ideo dicit Apostolus 2. ad Timo. 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia. &c.

Quar-

TITVLVS VI. ij

Quartò inquit Augustinus libro secundo contra Donatistas de Baptismo capite vndecimo. Propter hoc odiunt nos Donatiste, quia vera docemus, quòd non eos de vnitare Ecclesiæ fore dicimus. Hoc enim supra omnia vrit eos, sed nos non tacemus, obtemperantes Apostolo secundo ad Timothe. quarto. Argue, obsecra, increpa. omnes sectæ magis gloriam quærunt hominum, quàm Dei, Ioannis duodecimo. & salutem animæ, & dum ad tempus reprehendi timent, damnari in perpetuum non timent: faciunt iam imperitis nebulas, sed omnia DEO sunt nuda & aperta, Hebræorum quarto: Sic nouelli concionatores dicunt ex parte etiam nostra, oportet iam inspicere nouum sæculum, iuuentutem, &cæ. & non occinere cantilenam semper antiquam &cæt. Tales potiùs volunt complacere hominibus, quàm Catholicæ veritati, sed non erunt excusati, quandò rex dicet, Redde rationem villicationis tuæ, Lucæ decimo sexto: At iam excusant se pleniùs, Ego maneo cum textu, nolo rixari, &cæt. Responsio, Paulus ad Titum secundo duo docet: primùm, quòd Episcopus aut prædicator debet esse potens in sana, id est, Catholica doctrina: Secundò etiam debet arguere eos qui contradicunt sanæ doctrinæ. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, seductores. Et exemplificat de prædicatoribus de circumcissione, quos oportet redargui, &cæt. Ergo nunc sectarum prædicatores sunt taxandi, &c.

PRAEDICATOR ECCLESIAE

Catholica vnitatem non docens peccat.

TITVLVS VII.

B b Multi